eloquii procedit. que non luxuria polluit. non libido corru-
pit. sed virginalis integritas perpetue incorruptionis titulo
decorauit. Qui nimirum nuptialis copule thalamum
deserens. omnem illecebre carnalis ardorem in celestium
deliciarum voluptatem transtulit. artissimeque se in sui redemptoris
ac dilectionis amore coniunxit. propter quem scilicet coniugalis thori sedem ab-
dicauit. Unde diuinitus illi concessum est. ut tanta cor eius
etiam circa fratres karitatis gratia repleret. ut sicut sanctum pectoris
eius templum velut caminus quidam diuini incenderetur
incendii. Quod profecto in quibusdam scripturis eius patenter agno-
scitur. in quibus utique per omnem fere paginam quasi per quasdam
rimas caritatis vapores effundere. caritatis videtur ar-
doribus estuare. Modo enim patres nominatim ad caritatem
prouocat. modo non filios sed filiolos quasi tenere diligens
appellat. Modo proprijs etatum vocabulis infantes. modo
iuuenes. modo singillatim commonet adolescentes. modo
etiam mulieribus epistolas destinat. easque ad cautelam fidei
et studium dilectionis sincere inuitat. Hic itaque inenarrabilis
caritatis ardore succensus. huc illucque se vertens undique
circuiens. ubique discurrens omnia ad salutem genera hominum
concitat. omnia etatum incrementa perlustrat. omnes humane
conditionis ordines oculo curiose sollicitudinis inuestigat. et
tanquam arca uniuersalis ecclesie factus. totius humani generis
summam. ulnis paterne dilectionis amplectitur. atque ad redemp-
toris sui consortium trahere unumquemque singillatim ammonendo
conatur. Amor quippe domini quo eum pre cunctis mortalibus
plus dilexit. eo ei pondus fraterne dilectionis exhibuit. ut nimirum
plus amaret qui plus amabatur. et qui primus erat in redempto-
ris amore. precipuus fieret in fraterna caritate. Quanti
autem apud deum imparandi loci. quia precipue familiaritatis
iohannes obtinuit priuilegium hinc manifestius colligere possimus.
quod idem beatus iohannes euangelista testatur. quam in ipso vitalis
cene conuiuio iesus turbatus est spiritu et protestatus est et dixit. Amen